ecclesiasticae.

Casim: Arbor scientiae boni et mali D. Thomas Aquinas.

ARBOR
SCIENTIÆ BONI & MALI,
D. THOMAS
AQVINAS.
DOCTOR ANGELICVS

Redeunte annuo ſuæ feſtivitatis cyclo
In Baſilica SS. TRINITATIS Ordinis Prædicatorum Celeberrimi Conventûs Crac:
cultu oratorio.

PER

M. B, C. MALICKI *Philoſ. Doctorem & in Alma Vniverſitate Crac; Profeßorem. C. S. N. A.*

DEMONSTRATVS.

Anno Domini 1691. ac demum anno Salutis 1692.

Luci publicæ Superiorum permiſſu
CONSECRATVS.

CRACOVIÆ Typis Nicolai Alexandri Schedel S. R. M. Ord: Typ:



AD

JLLVSTRISSIMOS REVERENDISSIMOS

Ac

PERILLVSTRES DOMINOS

DOMINOS PRÆLATOS

&

CANONICOS

PERAVGVSTI ac VENERABILIS

Capituli Cathedræ Cracoviensis

DOMINOS PATRONOS ac MECÆNATES

COLENDISSIMOS

Parænesis

Hoc Opusculum Devovens Dedicansq;



Nsitam olim cultu Oratorio in ædibus Sanctissimæ TRIADOS *Arborem Scientiæ boni & mali, quo demum locorum transplantarem, non immeritò solicitas tam diu voluebam in pectore curas.* ILLVSTRISSIMI REVERENDISSIMI ac PERILLVSTRES DOMINI. *Quò enim hæc cæteris vastior digniorq; arbustis, eò capaciori præstantiorig; credenda erat viridario. Iure illi priore multò conuenientiùs Paradisus voluptatis debebatur, sed me ab eius ingreßu non tam ignitus Cherubim, quàm imperscruta-*


 bile,

bile, & nulli hucusq; Geographorum cognitum arcuit iter. Faustis auibus me ad editos Vauelli colles contuli, quia novum in eo pereniorem q; Paradisum reperi. Arbor hæc non peritura non perituro inseri meruit Paradiso. Talis est in Peraugusto ac Venerabili Vestrûm gremio ILLVSTRISSIMI REVERENDISSIMI ac PERILLVSTRES DOMINI *qui non momentaneâ Arabiæ fragrantiâ, non euaporantibus Hyblæ odoribus, non putredini expositis ramorum ostentationibus, non amaritudini obnoxijs succorum dulcedinibus, non marcori subiectis foliorum coloribus per terras intumescit; sed suaueolentibus cunctarum virtutum decoribus, pululantibus omnigenarum scientiarum fructibus, flagrantissimo Divinæ gloriæ zelo, fulgentissimâ literatorum ac literarum protectione, uniuersorumq; meliorum charismatum æmulatione ad cælos usq; penetrat, suamq; inibi æuiternam radicat stabilitatem. Hìc crescunt & continuò plantantur non interituræ magnæ spei palmæ, quæ optabili quadam metamorphosi in opportunos titubanti Patriæ scipiones Scipionesq; gloriosè degenerant. Hìc morantur & inde in publicum eluctantur animosi inuictæ fortitudinis Atlantes, qui ruiturum in Remp. Olympũ paribus tanto oneri viribus sustentare adæquant. Hic maturescũt, ad æquitatisq; augem pertingunt iustissimi Areopagitæ, qui in cõdendis legibus Lycurgos in emendandis Solones, in ampliandis Iustinianos, in obseruandis Zaleucos, in exequendis Rhadamantos aut vincunt, aut æmulantur. Hìc zelosissimos fouendæ pacis Numas, hìc urgentissimos euehendæ probitatis Augustos, hìc mitissimos excolendæ comitatis Traianos, hìc constãtissimos augendæ Religionis Cõstantinos, hìc ferocissimos damnandæ improbitatis Minóës, hìc prudentissimos Consos, hìc acerrimos vindicandæ injuriæ Aurelianos, hìc lenissimos tuendorum orphanorũ Mycithos, hìc munificentissimos Irorum tectores ac protectores, ve-*

lut

lut indeficiente Deucalionis semine nascentes, aut ex equo Troiano prodeuntes orbis Christianus fatetur & veneratur. Si (teste Apostolo) Non coronabitur nisì qui legitimè certauerit: *quid mirũ etiam super terris, nullam reliquis, Vestro Peraugusto Capitulo singulisq; Vestrûm* ILLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI ac PERILLUSTRES Dñi *ternas cælitus impendêre coronas? quando cursu indefesso indesinentiq; zelo tam gloriosa pro augmentãdo Divûm honore transigitis certamina, intaminatoq; ac perpetuo exemplo universalem cunctis ideam imprimitis, non debere quemquã maioris Honoris templum ingredi præsumere, nisì Vobiscum in templo Laboris versatum. Hàc itur, hàc eundum, hâcq; ivere viâ ad Episcopales tiaras Archiepiscopalesq; mitras, si non cuncti certè plurimi Sauromatici Orbis splendores, ceu ingentes sublimis Libani Cedri, placidisq; ac opportunis Patriam imò totam Ecclesiam, furentibus Odrysiæ Cynthiæ radijs ustam ethesijs repleuere, umbrâq; alarum suarũ protexere, dum priùs in hoc Paradiso ramos foliaq; dexteritatis suæ explicauere. Quid mirum cùm tanta Arbor tantum expetit Paradisum? cuius ego minimum agens Alcinoum, Vestri sinûs Vestriq; fauoris* ILLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI ac PERILLUSTRES DOMINI *ethesias submisso corde exposco, utq; illi inter solita Vestri patrocinij Floralia Fauoniosq; vigere explicari radicariq; liceat, deditissimo pectore expostulans, eam reuerenter in Vestrum gremium defero offeroq;.* ILLUSTRISSIMARUM REVERENDISSIMARVM ac PERILLVSTRIVM DOMINATIONUM VESTRARUM.

Cliens devinctissimus Author opusculi
Idem qui supra.



ARBOR
SCIENTIÆ BONI & MALI, D. THOMAS AQVINAS.



Qualida & quadrageſymali cinere ſparſa, de amœniſſimis vultibus Veſtris tantisper exuite ſupercilia. A. A. Triſtibus aliàs hoc tempus dicatum næ-nijs, hactenus ſolennibus perſtrepit epinicijs. Stipata novis Reſp: noſtra felicitatibus, uberes gaudiorum ſpargit & legit ſementes. Omnia læta, omnia iucunda perſonant, quando Coronata Regni noſtri Capita iubilant, hilaresq; ac perquam raros, perquam dignos in thronum ſuum inducunt Hymenæos. *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, lauruq; redimita tempora velut hereditario iure totum vulgum pertrahunt in ſûi colorem. Vincta recenter iugali nexu Principum noſtrorum corda, alios ad convivandum, alios ad miniſtrandum, cunctos ad plaudendum invitant. Quicunq; filij, quicunq; mébra Patriæ ſumus, lætante Patre Capiteq; Patriæ, non lætari non poſſumus. Quidquid opimi in vineis Bacchus, quidquid præſtantiſſimi in agris Ceres, quidquid ſaporiferi odoriferiq; in viridarijs Alcinous, reperere,

Exordij Protaſis.

divite nimis manu ad ornamentum tam plausibilis actûs congessere. Attamen *nec rosa sinè spinis, nec absq; surculo cedrus, nec Hebe absq; nebulis, nec semper sinè Halone Phœbus.* Cętera licèt superbè affluant, magnisque suppetant acervis, quæ appetitum ciere, quæ voluptati arridere, quæ mentem etiam satiare valeant; unicum nihilominus, illud unicum deesse videtur, quod convivis sapidissimũ, quodque mensarũ coronamentũ esse solet. Illud

Catascheue. unicũ, quod tantò magìs charũ quãtò magìs rarum. Sævit s. rigida bruma, adeoq; non Polonum tantùm, sed etiam vicinos orbes glacialibus strinxit compedibus, ut eatenus nec germinare possint, nec recentibus bellarijs tam

Apodosis. triumphalem Actum stipare. At pudet, in tanta pompa defectum detexisse. *Optimè miserius fert, nec malè defectum supplet, qui abscondit. Sæpe inertem ars corrigit naturam,* & quod *segnibus videtur impossibile, solertibus facilè contingit.* Iam cogor dicti defectûs palinodiam canere, quando sagaces in D. Ang: Doctorem converto pupillas. Cerno in illo, cerno inæstimabiles fructus, cerno virentia & nullis Æolorum vexis obnoxia folia, cerno indeficienter fructificantes frondes. Non dentibus quidem, ast mentibus hic fructus competit, sed tantò cęteris præstantior, quantò præstantiorem hominis reficit partem. Vile est, quantumvis optimum putetur, quod stomachi esuriem sedat: glandibus & iuglandibus, Falerno & nymbo hoc attributum commune; sed fructus in D. THOMA genitus, quò rarior eò suavior, ideo præstantior, ideo perennior, quia mentis non ventris ingluviem, quia solus, quia perennè compescit. Omnis homo esurit, omnis scire desiderat: gutturis famem, Bacchi Cererisue; animi, Aquinaticis fluctibus & fructibus repleat, necessum est. Non Aheneis fructus eius

Basis. circumseptus muris, non ascensu difficilibus munitus obstaculis. nullus hìc excubat draco, qui eum carpere prohibeat: nullæ circumstant excubiæ, quæ sumere vetent. Arbor hæc in propatulo sita, sub dio tectoq;, in divi-

tum

tum gazophylacijs, pauperumq́; tugurijs plantari & frõ-
deſcere amat: æſtivo hybernoq́; tempore pullulat, ade-
oq́; uberes continuò fructificat partus, ut univerſo affa-
tim, ac indeficienter ſuppetat orbi. Palmæ eius etiam
intra manuum palmas germinãt, quòve magìs attrectan-
tùr, eò uberiores fructus producunt. Ergo iam procul
omnium metus defectuum, ubi etiam illud quod opti-
mum, quod extremum deſiderabatur, ex hac quæ ſe nunc
noſtro viſui offert Diviniſſima Arbore abunde ſuppleri
poteſt. Sed convivis tantùm, Paranymphisq́; non Au-
ditori meo, non mihi ipſi conſuluiſſe videor, quando diſ-
ſitis hinc Regalibus nuptijs, non præſenti Auditorum
conceſſui bellaria molior. Aſt inexhauſtam hujus Ar-
boris molem, & prolem dum penitius perſpicio, minimè
ſolicitus hæreo. Sub unius platani umbra quondam ad
Baſileam cum multa Principum cohorte V. Carol⁹ Imp:
R. diſcubuiſſe legitur; ſub Arboris meæ fruticibus non
multæ ſed cunctæ, & Principum, & gregariorum pha-
langes alacriter diſcumbite, non tenebris tantùm, ſed bel-
larijs, non ſolùm folijs, ſed & fructibus ſatiandæ refri-
gerandæ. Divum proinde THOMAM Aqu: Ang: Do- Propõo.
ctorem in Arboris non vulgaris ſed ſcientiæ boni & ma-
li figura, eò ſecuriùs Vobis A A. exhibeo, dum eâ nul-
lam in orbe ſecundiorem quia nec ullam ei ſecundam vi-
deo. Patere Diviniſſime Doctor ſub tam exilis tituli
cortice orbi patere. Nimis equidem injurius Tuo ho-
nori videor, cùm Tuam magnitudinem, qui iam ſole
clarior, Firmamentoq́; ipſi par, aut eo major multoti-
es demõſtrabare, qui etiã à me quondã Inextinguibilis Ec-
cleſiæ Pharos declamabare, nunc ſub unius arboris exilita-
te cõprehendere præſumo; addit tamen animũ ſpéq́; ful-
cit vel ipſius Divinæ Crucis pretiũ, toti Univerſo antepo-
nẽdum. Si ſola arbor digna eſt omnibus anteire precijs:
arbori ego adamantes, arbori uniones poſthabens, ſecurè
Tuam dignitatem ſub hac ſpecie repræſentaturus, ſterilẽ
linguã meam ſucco Tuorũ fructuum, Tuarũ inquam grati-

arum refici profundissimè exposco. Discumbite alacres A., de fructibus tam pretiosæ Arboris bellaria tantò iucundiùs capturi, quantò favorabiliùs attentiùsue præsenti sermonis mei quasi vindemiæ intentos Vos præbebitis, quod majorem in modum exoro.

Confutatio. Suspectam veritatis & tanto minorem Viro nomẽclaturam me proposuisse putabitis A A., antequam omnia Arboris scientiæ boni & mali attributa, illi concinne competere audietis. Arbor quippe erat nefanda, nefanda malus, quæ generale hominibus genuit malum. Unam Paris malo perdidit urbem; Adam universum infecit orbem. Soli Trojæ exitiale erat pomum cælo lapsum; pomum hac arbore carptum toti mundo peperit lapsum. Unam Hippomenes pomis seduxit & victam duxit Attalantam; pomo hujus arboris totum avernalis serpens in Heva vicit & vinxit hominum genus. At verò Divus THOMAS quid cuiquam exitiale fecit? quid est, cur eum fatalis nomine ligni intitulare velim? Atram quæso ne movete bilem A A., si etiam in hoc aliàs innocuo Viro, atrum quoddam non paucisq; perniciosum detexero virus. Salutarem THOMÆ quisquis cum Ecclesia amplecteris doctrinam, perniciem hac arbore natam illis tantùm fatalem esse fateris, quibus ceu fato quodam in vitia raptis, illis ut suibus cæno volupe est inhærere. Reliquis fragilitatem pietate pensantibus, sola hujus mali radix amara, sed fructus cunctis dulcior ambrosijs. Si verum est, æternum VERBUM fragili mortalitatis nostræ supercilio induendum non fuisse, nisi Adam immortalem innocentiæ vestem exuisset: si verũ est hujus VERBI incarnationem omnibus orthodoxis esse salutarem & gloriosam; verum est, quòd arbor scientiæ boni & mali solis improbis peperit malum: verũ est, quòd bonis peperit bonum. Si triumphale est quod Ecclesia canit in triumphum. O felix peccatum Adæ; triumphale erit demonstrare D. THOMAM, huic arbori, quæ probis auxit gloriam, eô tantùm dispares, quia

melio-

fmeliores germinare fructus. Atque inprimis arborem *Confirmatio.*
ſcientiæ boni & mali magnorum multorumq́; præſagam
uiſſe myſteriorum ſatis vel ipſe eventus docuit, qui ei
tam peculiare nomen impoſuit. Etſi nollem Divo no-
ſtro arboris congruere nomen, ſcientiæ tamen boni &
mali fontem inexhauſtum vel indeficientem in eo the-
ſaurum nemo inficiabitur, qui inæſtimabilem ejus ſapi-
entiam rite contemplabitur. Vix primùm ſuam gignē-
dæ huic ſacræ Arbori æternus Alcinous impinguavit are- *Concept: D.Thomæ*
olam, vix tantùm ad producendū illam ſemen enatum:
adhuc Maternum pectus profundis hanc ſementem ob-
tegit glebis, adhuc vites ejus ſinè vita arcanis celantur
ſulcis; & iam Lyncæis ſancti Anachoretæ non corpo- *in utero*
ris ſed animi pupillis diſpicitur, & iam ortus ejus com- *ad huc e-*
pare vitæ prophetiâ prænunciatur, & iam prodromam *xiſtens,*
ſuæ magnitudinis gloriam germinat. Semel tantùm & *prædici-*
fabuloſè, parturientes naſcituro muri præluſere montes, *tur fore*
verè nec ſemel parturiere, niſi grande aliquid parituri. *magnus.*
Non potuit noſtræ ſementis area non parturire, quia
magnitudine naſcituri partûs nimiùm turgida: nec po-
tuit alijs quàm ſanctis prævideri oculis, quia ſanctitatis
germen. Grande non vulgaris decus nativitatis, & vix
cuiquam mortalium attributum. Creſcentem in utero
Diviniſſimæ Virginis humanam ſalutem tripudians ana-
choreta demonſtravit: creſcentem in utero Theodoræ
magni nominis prolem alter proclamavit. Communem
ſibi cum THOMA eam dignitatem æternum voluit
VERBVM, quia futurum verboſum ſapientia ſapientiæ
proclamatorem. Iure datum deſertorum Cultori ere-
mitæ THOMAM prædixiſſe fore magnum, quia eti-
am deſertas, iudicijq́; vacuas & mentes & linguas fa-
cturum diſertas. Sed iammihi grande rutilat præ ocu- *Naſcitur.*
lis ſidus, quando THOMAS ſecundo omine ma-
ternas rumpit ſecundinas. Accinatſua naſcenti Ter-
pſichoro luſcinia: applaudat philomela ori vagientis
Steſichori: ego Tuum hactenus Dive mi agens gene.

chiliacum, iam aliàs ortui Tuo cantatum recino: omen. *Exhaustis populi tandem puer optime votis ex-*
Lebr: *pectate venis. Tale puerperium quoties Lucina revoluit, fit*
Idem. *rerum novitate fides venisse beatas annorum series.* *Cresce* D. Puer *millenis cumulande lustris, cresce millenis cumulan-*
In: *de seclis.* *Te roseus pudor virtusq; non pueriliter risere na-*
Sar: *scentem, & supinus lilia supposuere membris.* *Vive Tibi no-*
Leb: *bisq; puer, refer ore parentem, sed virtute magis.* Felices & tu Theodora auspicaris Olympiades, quando non fortuitis Olympiadis, aut Agaristæ somnijs, sed cælestem instinctum referentibus prophetijs; non uni urbi, sed toti orbi lumen; nec soli Philippo, sed omni Christianitati prænoscis te genituram leonem, qui leoninâ magnanimitate generosissimo cuique non adæquat, verùm præest Pericli. Macte animo fortunata Mater: palma hæc gloriosissima Anachoretico tibi inaugurata vaticinio, Cyro maiorem quia THOMAM præsagiens, non caligines sed splendores, nec in sola Persia vel Media, sed in toto orbe ita dilatabit, ut te Astyagem ingentis non luctûs' sed lucis compotem reproducat. Fausta nimiùm Hecuba, quæ tantum Paridem paritura non prodigiosos ignes somnias, sed vivam prædiscis veritatem. *Ille* enim *profundi fervidus ingenij, frugem vitutum & Latinis restituet sata læta campis: auroq; fusum tempus & aurei latè per or-*
Sar: *bem flumina seculi diffûdet.* Libens linquo phantasticos' Vestræ Octaviani, Vestræq; Columbani iactantiæ soles, quando veriorem enixa Theodora. Uno tantùm arrogans Pháëton die vexit per æthera solem, & non solùm solum, ast & salum exussit; pluribus iam seculis THOMAS eum collo suo appendit, & radios ejus cunctis animantibus fecit amabiles, quia simul eas in sinu gerens aquas, quæ temperando illius æstui rite sufficiant. Cauete tamen hæretici cum pravitatum Vestrarum paludibus cavete, quando THOMAS titani dominatur, perversorum figmentorum Vestrorum lymphas exuri necessum est, donec in profundis errorum fundis loco sa-

lubri-

lubrium piſcium Letheos angues iaſpides ſcorpionesq; pateat generari. Sed mitiora Vobis loquar, quia infans meus nimiùm mitis, nondum arboris aſt flexibilis virgæ naturam imitatur. Et virga quidem plectit, ſed leviter errantibus applicanda. Miſera durities Veſtra o perfidi, ſi non reſipiſcitis, priùsquàm hoc virgultum THOMAS in duros vectes excreverit. Cùm ille maturam arborem aget, minima ſimul & maxima mendorum Veſtrorum oſſa, fuſtibus fructuum eius facilè conterentur, nisi ſeriò emendare ſtudueritis. Et quidem creſcere eam cernetis, ſi mecum in vlteriorem aream deſcendetis. Quare lignum ſcientiæ boni & mali non alibi plantari decuit, quàm in paradiſo, ſi fas eſſet in Theologicam, meſſem, Oratoriam immittere falcem, uberrimos ex ea abditiſſimorum manipulos myſteriorum legere liceret. Non vulgari & mea myſtica Arbos prodijt glebâ, quia Illuſtriſſimâ Comitum Aquinatum familiâ. Ab Aquinatibus eam prodire decuit, ut eius origo non aridis operum fructibus rite reſponderet. Ab aquis THOMAS emanare debuit, ut deſtinatus ad irrorandas antehac areſcentes non telluris ſed mentium humanarum glebas, domi haberet, quo irrigaret. Inter aquas eum naſci decuit, ut Letheis agitatam fluctibus humanæ fragilitatis Argon directurus Navarchus, in nativis laticibus experientiam ſumeret. De aquis THOMAM eluctari fas erat, quia futurum illius delicium & inſtrumentum, cui ab æterno volupe fuit ferri ſuper aquas. Generis Aquinatici dignitatem tantò minùs exagero, quantò convenientiùs prudentis effato adhæreo, quòd *Stemmata nil faciunt, nil prodeſt pontice longo ſanguine cenſeri, pictosq; oſtendere vultus Maiorum, ſi malè vivitur.* Iuu. Solus *fumoſas Atavûm iactet imagines, & depicta Patrum ſtemmata, propriæ qui virtutis eget. Aliena* quippe *laudat, genus qui iactat ſuum.* Comitem tamen THOMAM naſci decuit, ut eius nomen rei conveniret, cujus futura comitas & ſapientia unicuiq; ad eliciendum veritatem præitura

Thomas ex Familia Aquinatum.

erat

erat & comitatura. Arborem ſcientiæ boni & mali cum pleno maturoq; fructu fuiſſe creatam ſacræ perhibent literæ. Quid illi arbori ſupra noſtram? hoc ſanè quòd priori moles fructuum moli ramorum proportionata fuerit; hæc verò maiori fructuum quàm frondium copiâ oneratur. Iam Veſtram fortunatæ inſulæ fortunatam non obiectate ubertatem: iam Heſperij horti Veſtram non iactate felicitatem; fructus Veſtri flores ſunt, caduci ſunt, unius Africi furore marceſcunt, hoc illis quod Semiramidis, quod Chloridis viridarijs expectandum; fructus arboris meæ ita magnus eſt, ut omnibus alendis ſufficiat: ita nutritius, ut in ævum reficiat: ita ſolidus, ut nec minimam ex cunctis erebi turbinibus ſuſcipiat limam. Vix adhuc Arboris meæ ramuli papillis enituntur, vix tenellæ artuum eius frondes de Materni uteri areola levantur; & iam plena virtutum meſſis inſtat, & iam matura probitatum eius vindemia offertur.
Salutat: Ang: deglutit. Cernite intenſum ejus pro Superis zelum, cernite evidês virtutum dogma & compendium, quando præ aviditate honoris Mariani, Angelicam ſalutationem deglutire non abhorret. Proh puſille THOMA! proh lymphatice Aquinas! adeone aquarum tuarum fluctus ſævient, ut etiam mare gratiarum Mariam circumfluere valeant? tantane in faucibus tuis abyſſus, ut quam cæli vix capiunt, tu in viſcere comprehendere ſufficias? itane furenti ardore exæſtuas, ut quaſi infamis Zoroaſtes totam hanc Diviniorem cum nomine cupias delere Diannam? Væ Vobis Alexandrinæ Pergamenæq; bibliothecæ væ: heluo noſter omnes conſummare literas natus, cunctos voluminum Veſtrorum apparatus, levium inſtar bellariorum conſumere paratus. Væ vobis vilibus calametorum folijs turgidi hæreticorum codices: tenellus hic euclio ſacrâ fame accenſus, ſi nullis voluminibus comprehenſibile Nomen Mariæ abſorbere, adhuc in viridi ſuffecit, quid vobiſcum in arido fiet? O dolium pluſquam Danaidum, cui implendo mare non ſuffecit. O euclio eu-
clionum

elionum, qui tanto oceano sitim non extinxit. O quàm
hìc verè abyssus abyssum invocavit, cùm THOMAS
Mariā epotavit. Ingens sanè in flumine Aquinatico pro-
digium, quod ita miro modo naturæ ordinem disordi-
navit, ut cùm omnia flumina in mare influant, in hoc
cunctarum gratiarum maria influxerint. Iactate quibus
lubet Achillem an Herculem seu ursorum seu leonum
medullis pastum: narrate Antonium regno Ægyptiaco æ-
quivalentes hausisse margaritas: gloriamini Eliam igne-
is lactatum globulis; si substantia alimenti transit in sub-
stantiam aliti, Hercules Aquinaticus non alio cibo
quàm Mariano pasci & nutriri debuit, ut Mariam intus
præseferret, utq; contra rugientes hæretismi leones cir-
cumeuntes ac quærentes quem devorent, pugnaturus A-
thleta fortis evaderet: Antonius hic inæstimabili Mariæ
unione cibandus erat, ut cum innocentia eius uniretur:
Elias meus Angelico cibo nutriri debuit, quia incarnan-
di Angelorum Domini zelosus explanator, quia Ange-
licus Doctor futurus. Omnis maculæ expers Divinissi-
ma Cleopatra, ita hunc Antonium adamavit, ut non
sua sed seipsam in cibum illi dare non recusaret. Si
totam margaritæ ab aquis mutuantur originem & cla-
ritatem; Aquinaticum flumen ne Euphrati Gangiq; pre-
tio cederet, cùm non potuisset hanc Divinam gignere
Margaritam, absorbere debuit, ut ab inspersis per male-
sanos infideles eius puritati maculis eam ablueret.
Verus tantæ Matris filius, cùm in Maternis visceribus
esse non posset, Matrem in sua inclusit: & quam nec-
dum ore nominare scivit, ad cor transmisit. Quinquē-
nis THOMAS ne in cassum puerilem ætatem absume- *ad cænobi*
ret, ad Cassinense Benedictinorum cænobium educan- *um educā*
dus traditur, quasi in hoc etiam arboris scientiæ boni *dus tradi-*
& mali naturam æmulatus, ut & ille in deserto floreret. *tur.*
Discebat an docebat tenellas passiones mortificare, nimi-
ùm dubium est. Vidisses puerum multis sanctitate præ-
ivisse Viris; vidisses hunc demissum fruticem procerri-

mis quibusq; fructu antecelluiſſe arboribus: vidiſſes diſcipulum ſupra magiſtros, Anacharſim inter Scythas, Cyrum inter paſtores. Sequitur tamen libens, licèt jam præire ſciret: & agnum ſe ijs præbet, quos paſcere poſſet. Sumite hinc normam puſilli, ſumite tumidi infantuli, quibus perverſa ætas noſtra à maternis uberibus arrogantiam lacte priùs inſtillat, & citiùs ad reluctandum diſciplinæ exacuit linguam, quàm dentes ad cibum. Soli jam THOMAS proximus eſt, & tamen heliotropij naturam imitari, convenientiùs cenſet, ubi Superiorum veſtigia terere convenit. Cereus oportet ſis non in vitium flecti ſed à vitio, quisquis felicem educationem deſideras. Deplorandus juvenis, ſi tamen plorandus, quicũque Magiſtris monitorib⁹ aſper: verè non verè *perdit animã*
Sap: *ſuam, qui deſpicit diſciplinam.* Viles arbuſtis progenerari fructus donec transplantata fuerint, trita hortulanorum experientia teſtatur. Copioſos quidem etiam hactenus in Arbore noſtra vidiſtis fructus, ſed in aliud ſolum transplantata, quantò uberiùs fructificat, videte. Vix tantùm laureatæ ſulcos telluris attigit, ita felices explicuit ramos, ut reliquas arbores velut Libani cedrus calameta obvelaret. Vix inquam in Neapolitanam laureatorũ arenam prodijt THOMAS, ſubitò tam firmo paſſu præfixa ſtudiorum ſtadia percurrit, ut Iſthmicis Nemæeisq; agonibus agonem imponere videretur. Alexandrum in THOMA renatum vidiſſes, cui ad æmulandum aut ſolis Principibus aut Principum ingenijs opus erat. Illudite poſthac juvenes Olympicis Pythijsq; ludis illudite, & ne illudamini, cum THOMA ludite. Sic ludẽtes, ſeria, imò maximè ſeria quævis agere, à ſera judicioſaq; poſteritate judicabimini. Vitate illos quos Attalantæ proponunt curſus, abhorrete quos Ariadnæ præcavent labyrinthos, ſed præeuntem cum THOMA ſequamini Palladem, ſic fortunatiores Hippomenes, ſecurioresq; Theſei evadetis. Non fruſtra cucurrit alacer THOMAS per Neapolitana laureatorum ſtadia, quia pervenit ad illud bra-

Neapoli ſtudia tractat.

bium,

bium, quod Dominicanum diſpenſat brachium. Non poterat Aquinati melior obtingere ſtatus, quàm cùm Natalitiæ ejus aquæ Gentilitio Dominici Syrio objectæ, ut in ſubtilem vaporem exhalarent. Si arbor THOMAS eſt, bene ad Syrium exponitur, ut ſuccus ejus calefiat. Fas erat ex tredecennali arbore inveteratum corticem excutere, ne ſuccum virtutum exhauriens ſtipiti officeret. Decuit ab hac Arbore ſeculares ſurculos & ſtolones avellere, de qua omnis guſtaturus morte non erat moriturus. Convenientiſſimum erat eum qui ſanctioris vitæ normam demonſtraturus erat veterem de ſeipſo hominem exuere, ſi tamen vetus dici poteſt, qui in nullo vitio conſenuit. Verè fortunatus Dominici venator, qui tam pretioſam conquiſivit feram! verè Heſperijs infinitè felicius Dominicanum viridarium, in quod tam beatum Arbuſtum transplantatum! verè ipſo paradiſo amabilior paradiſus, qui veriorem ſcientiæ boni & mali Arborem quia perennè germinantem conſervavit! At hem! vix frutex noſter in ſacro occipit frondeſcere viridario, & ecce ſævos dirus Auſter ad concoquendos ejus flores, evellendasq; radices ab imo cocytho evomuit turbines. Vix Aquinatica lympha cum Syrio conjūctis temperanda opponitur ethesijs, & ecce infenſos infernalis Æolus an ipſe Pluto ſuſcitat Nothos, quibus eam ab imo conturbare & congelare poſſit. Maleſanus Matris in filium amor, matrem in novercam, Theodorā in Thetidem diram, donum DEI in flagellum convertit. Perſequitur ſceleſta cæleſtem, & aheneis etiam poſtibus incluſum ſe ſe erepturam minatur. Recollectior mater ſacra Religio, ut tibi immunem THOMAM cōſervaret, immanem Theodoram fugere deſtinavit. Sed enodum! verte gradum iuvenis, non eſt bona ſemita, verte. regredere potiùs regredere, ne inhiantem uterinorū tuorum Gradivum ingrediare. Eheu dolor! pertinax THOMAS dum pijs inſiſtit greſſibus, in pijs in prædam obtigit fratribus. Minos Rhadamantusque nunquam

Amplectitur Religionem D. Dominici.

A matre rapitur.

tam atroces in exequendis Themidis decretis extitere, quàm sævas Landolphus cum Reinaldo suæ Nemesis' indignationes contra fratrẽ egessere. Sistitur matris ante tribunal fili⁹, eò nocensquia innocẽs: eòq; magis pœnæ obnoxius, quò magis noxarum purus. Agnellã tantisper in THOMAM frustra præseferens mater, leænam agere cœpit, & quem lenocinijs inflectere nequit, sævis tentat convertere minis. Iam orat misera, iam plorat: iam gemit, iam fremit: iam ludit, iam trudit: ut filium proposito detrudat. Miscet luctibus gaudia, furijs favores', minis preces, lachrymis cachinnos, querelis blanditias, iracundiæ lenocinia. Nunc dulcia sonat, nunc horrida tonat, nunc quasi lactat, nunc quasi mactat, nunc plaudit nunc plangit, nunc gemebunda ut turtur, nunc fremebunda, ut vultur, nunc suavem præsefert lusciniam nunc strygem horrendam. Adeo adeo *difficile est amare simul & sapere etiam sapientibus*. Deniq; expers sani consilij lachrymanda mater, quem vellet semper materno sinu fovere, fovere nesciens, quemve continuò præsentem sibi esse cupit, nunc præsentem tolerare nequiens, imbellis bellatrix luctus & luctas tantisper diremit, *incarcer:* ubi, à conspectu suo filium abligavit. Ast quò? fortassis à duro resipiscens proposito, nec ampliùs Divinæ reluctans vocationi, in suam vineam vocatum à cælesti OEconomo operarium remisit? nequaquam: ergo saltem suaveolentes odoriferi viridarij lustrare mæandros', olorinisq; discumbere culcitris permisit? ita quidem: sonoras aliquamdiu THOMÆ accini iubet psalmodias, libidinosasque instaurari choreas: Persicas instrui mensas, Siculasq; dapes apparari demandat, ut THOMAM in Heliogabalum aut Sardanapalum convertat. Sed surdo canis fabulam insana mater: citiùs Æthiopem dealbabis, quàm bene accensum Divini amoris ignem extingues: faciliùs cum Dædalo per æthera volabis, quàm vocatum à Deo revocabis. Rhætum etsi ageres, retijs non illaqueabis, cui cælestis prælucet ignis. Enceladũ

si æmu-

si æmulareris, aut universas Gygantum colligeres vires, Arborem hanc non erues, quæ profundas in ipso DEI corde radices egit. Attamen nil profecturis littora bobus arat, quisquis irato amori argumenta narrat. Non est majus odium, quàm magno amore natum. Ingeniosa matris malitia quem vincere non potuit, vincire decrevit. Truditur in carcerem THOMAS, ideo ab impuris condemnatus, quia purus, ideo ab improbis reprobatus, quia probus. Ita ita. tortuosa mundi versutia sæpe in tersissimo scirpo nodos invenit: ita lippiens pupillarum caligo crassas Phæbo incutit maculas. Perdita est innocentia sceleris conscium nacta iudicem. Proscripta iustitia affectato arbitro obiecta. Lippientes oculi solem faciunt rubrum. Remorsus conscientiæ sceleris nefandi complicibus proborum nomen imponit, sceleris impotibus culpam obtrectat. Sed falleris adhuc Theodora falleris, dum tam impiâ spe flectendi pij THOMÆ aleris. Fortis animus etiam in carcere triumphat: nec ille semper iugum ponit menti qui corpori. Pedũ non genij libertatem vincula coarctant. Ipsæ quæ THOMAM vastare veniunt sorores, fiunt Vestales. Mira metamorphosis: pro una Helena duo fratres certarunt,

A Sororibus tentatur.

nunc contra unum fratrem binæ certant sorores. At cedite imbelles Amazones, nec ampliùs tantum athletã cædite. etsi tota congererentur castra, confidens in Domino THOMAS non commovebitur. si exurgat adversùs eum prælium, in hoc sperans non vincetur. *Iustum & tenacem propositi virum non civium ardor prava iubentiũ non vultus instantis tyranni mente quatit solidâ. Si fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinæ.*

Horat. *Cic.*

Verùmenimverò *Nullæ inimicitiæ sunt graviores, quàm quæ ab amicis parantur.* Humanis hactenus fragilitatibus, diabolicis deinceps mater filium prostituere molitur artibus. Thetis dira veriùs quàm Theodora, quia Achillem suum non fabuloso at vero immergere cupit averno. Lenonem submittit, quæ tandem hunc invincibilem vincat leonem. Et-

Mater in eum Lenonem submittit.

ſi iam mi THOMA ipſâ Andromedâ meliùs pudicitiam coleres, actum eſt de ea actum, quando tibi tam terribile hujus Gorgonidis monſtrum obijcitur. O amor Cerbereis nocentior odijs! o charitas Pythionis morſibus aſperior! o delectatio Lernæâ contagione mordacior! o amœnitas Hydrinâ infectione venenoſior, perniciosior. Adeſt iam, en adeſt, caſtiſſimam Suſannam ſimulans incaſta Putifaris. adeſt non Gnoſio tantùm Cupidinis, ſed maledicto totius orci cumulata famulatu formoſiſſima non Nympha ſed larva, nec Naiadum ſed furiarum execrando cætui annumeranda pellex: quot ſuavia dicta, tot incaſtos ingerit ictus, quot verba tot veſana calcaria ſubdit. Iamque iam ſuaves baſiorum inſinuat baliſtas, iam iam apem veſpa ſimulans inter dulces favos mordacibus pungit aculeis: mel ex ore fel ex corde ſtillat, ut THOMÆ virtutem obliniat. Pudicam THOMAS adeſſe cenſebat Æglen aut caſtam Deiopeiam, priùsquàm impudicam expertus Livillam & propudioſam Popæam. Verecundam credebat Lucreciam, ſed mox luxurioſam agnovit Helenam. Exhorruit ergo hic ſanctior Hippolitus ad tam laſcivæ aſpectu Phædræ, magis quàm ſi obiectâ Perſei parmâ Gorgonidis monſtrum conſpexiſſet. Obſtupuit pius iuvenis, ſteteruntq; comæ, & vox faucibus hæſit, ceu diro fulmine tactus. Cernit inhiantem innocentiæ ſuæ ſtymphalidem, lymphatam Siſiphonem, paratam lentiſſimo impudicitiæ tormento devota caſtitatis conficere vota. Sed quousque cernes THOMA? *Lumina*, crede mihi, *prædantur mentem*, *pariuntq; ruinam*. Si ba-
Ovid: ſiliſcus es, aſpice, quia hoſtis tuus morte dignus; ſi homo, time, ne tibi ab hoc baſiliſco per oculos mors intret. Et tu maledicta Rhodope, quid huic ſancto Nicætæ inhias? non guſtabit hic Theſeus, quam ipſi propinas Veneris an Cerberi ſpumam. Quid maleſana Medea hunc pium Herculem infaſcinas? non induet quam ipſi offers ſtygio toxico infectam prætextam. Apage apage nefanda Cyr-

da Cyr-

da Cyrce, THOMAS nunquam lapideſcet, quia nunquã tua pocula bibet. Aſt quid agimus THOMA, quousque diſcurrimus ? Iacula quæ tibi tenduntur, unico momento percellunt: hoſtis qui inſtat, ſolo intuitu occîdit. *Proxima eſt illa arx deditioni, cujus Præfectus cum hoſtibus colloquia miſcet.* N. Nullus talem Meduſam diu conſpiciebat, qui non in beſtiam mutaretur. Non Dialecticis ſed quercinis tales hoſtes vincuntur argumentis, nec reſiſtendo ſed ſeparando ſuperantur. Fuge fuge THOMA, nisì, fugeris, non pudicus tantùm Clitomachus ſed etiã crudelis in linguam tuam Anaxarchus aut prorſus elinguis Nicætas ſuccumbere cogêris. Nullus adhuc extitit Scævola, qui perſiſtendo, tales tolleraret ignes, quin ambuſtam virtutem referret. Adipe flammas, vel carie ſcintillas obruis, dum caſtitatis venenum venuſtatem, virili luctâ veſanam tentationem tolerando, vincere ſatagis. *Quid facies facies Veneris cùm veneris ante, Non ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas.* N. Egere extremas Dive mi vires, firmosque firmiter rumpe cardines, ne te improbus inimicus tuus perditæ probitatis cogat egêre. Fuge fuge celer. *Tutius eſt verè morſus fugiendo cavere.* N. Sed quò fugæ ſpatium ? cùm & ſerati coarctant poſtes, & iurati reſiſtunt hoſtes. Marcum Curtium ageret Divus, atqui firma nimis tellus nihil humanæ compatiens infirmitati, inimicos ſervat Romæ, amicos negat THOMÆ hiatus. Utinam hìc vel unum pollicem cum ſuo Gyges annulo extenderet, cuius adamante impurè adamatus purus iuvenis ab amante pellice occultaretur, Utinam adeſſet Meduſæ artificium, quo THOMÆ vel lapideſcere liceret, ne virtute orbari liceat. Non eos unquam feralis pugna cadentibus incuſſit terrores catervis, nec eousque inſtantia carnificum ergaſtula fatigatos dilaniant reos, ut Divus hic adoleſcens ſuæ virtutis anxius inhiantem ſtymphalidem perhorruit. Ergone his infeſtis turbinibus Arbor mea ſubvertetur ? ergone immani hoſti victas THOMAS da-

pellit Thomas pellicem. bit manus? minimè, minimè. Flagravit THOMAS non conflagravit, & in ipsis flammis ipsâ vivacior vixit Salamandrâ, quia aqueæ Aquinas naturæ. Iam tandem animosus iuvenis nun ambigit sed abigit, non cadit sed cedit, furit & urit, flammis flammas, castoque titione incastum pellit Titium: fugat cùm fugere nequit, docetq; *sit dolus an virtus nil in hoste requiri.* Virg: Egregias hostili corpori inussit notas, ut mentis maculas abstergeret. Cecidit tandem hostis, non cœcidit A. A. Pervertitque THOMAS consuetum antiquitati morem: olim accensis tœdis Hymenæi ducebant ad thalamos, ille à thalamo deduxit. Sciuit quippe cæcum esse Cupidinem, alluxit ei in tenebris, quem fugitivum cespitare noluit. Vespertilionem fortassis agebat in opaco Venus, accendere ei præ oculis fas erat, ut ad inimicam sibi lucem lippiret. Atq; tandem ubi THOMAS hostem foco litavit & hostiam, foribus crucem impressit, ratus non ullis fortiùs vectibus contra infernales balistas aditum posse obserari. Tantis in filium furoribus bien-

Dimittitur è carcere. nio sæviens mater, tandem aliquando sive mitior sive desperatior facta carcerem laxari permisit. Non immeritò tamen Arbos mea tam diu sub terra iacuit, ut profundiùs iactis radicibus, nullis posthac turbinibus erueretur. Quippe *quò altius quisquam molitur propugnaculum, eò profundius sternit fundamentum.* *Augustin.* Salicis est supremis radices concredere glebis; at robusta fagus ad ima terræ pertingit: quia non facilè casura. *Magnus esse vis, à minimo incipe: vis celsam fabricam construere magnitudinis, priùs cogita de fundamento humilitatis.* *Idem.* Et hæc, *sub qua nunc recubas arbore virga fuit.* *Ovidius:* Et hæc quâ protegeris, turris, rudus fuit. Sed quousque o Divina Arbos solis radicibus agendis immoraberis? quousq; mi generose Thesæu huic averno inhærebis? iam hyems tempestuosa abijt, imber violentus recessit, iam fugata Proserpina, prostratus iacet Cerberus; iam tibi æmulos agentes non Hercules sed ipsi Angeli ostia pandunt. Si spolia colligis, nul-

gis, nul-

gis, nulla ſunt, ſi triumphum expectas, non hilariora poſſunt eſſe ulla epinicia, quàm hic quem percipis iubilus Angelorum. Ita THOMA ita, *cùm eſſes iunior, ambulabas, quò volebas; nunc autem præcinget te alius.* quia dexter palæſtrita es, pretioſiore quàm Turnus Pallantis & Turni Æneas victor balteo cingi mereris: quia Evāgelicus es, lumbos iam præcinctos geris. Quid ſupereſt? *Pugna ſuum finem cùm iacet hoſtis habet.* Si Dominicanus es, ad Dominicanam ſtationem propera: ſi novitius, iam tandem ad profeſſionis libertatem accelera. Tolle, tolle, o ſancta Arbos palmas tuas: fructum quem abunde gignere potes, in antris ne mortifica. Si tibi Evagelico lampas deeſt, en eam Divi Patriarchæ tui moloſſus ore miniſtrat: ſi opacus antrorum exitus, hoc Syrio allucente non ceſpitabis. Permiſere tandem clementes Superi, ut Arbos mea ſuo reſtitueretur viridario: permiſere, ut magnæ ſpei Arbuſtum experto colēdum concrederetur hortulano. Theopompi ſub Iſocrate, Platonis ſub Socrate, imò ſub Platone Ariſtotelis induſtriam nemo iactaret, qui THOMÆ ſub M. Alberto ſolertiam notaret. Nondū Pythagoricū, in ſpeculationib⁹ exegit luſtrū, & iam vix ullā abſtruſā theſim reperiſſes, cujus nodū diſcipulus hic, omni Magiſtro luculentiùs intra proprij penetralia ingenij non luſtraſſet non diſſoluiſſet. Tarda tamen quercus quàm præceps cucurbita eſſe malens, mirabatur THOMAS non philoſophabatur. Ita verecunda humilitas Demoſthenem in Harpocratem transformat, ubi rationabiliter tacendum. Ecce Vobis ſeboſus tantuli Tantaluli, ecce Vobis exemplum adoleſcentuli. Loquente Magiſtro ſilet THOMAS, qui iam ſupra Magiſtrum loqui poſſet. Silete Theopompuli loquente Iſocrate, tacete graculi dum aquila clangit. *Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.* aſt è contra: *Proximus ille* DEO, *qui ſcit ratione tacere.* Quàmdiu tamen mutus eris THOMA? *Stultus* quidem *ſi tacuerit, ſapientis nomen habebit*; ſi tamen

præcingitur ab Angelis.

Ovidius.

Redit ad clauſtrum ſub M. Alberto ſtudet.

Ovidius

Cato.

men perpetuò tacuerit, ſtulti nomen habebit. Neſcis, quòd Amyclas ſilentium perdidit. *Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire id ſciat alter.* Lethargum dormis, cùm tibi undiq; condiſcipuli tui ludibrioſo bovis nomine improperant? Sed quid ego THOMAM redarguo? bene ille bos nuncupatus, quia ad laborem natus non præcocè labitur paſſu. Attamen bona verba quæſo condiſcipuli THOMÆ? THOMAM ridetis? THOMAM mutum bovem vocatis? ubi ille mugitum ediderit, Vos vitulos agere neceſſum erit. Neſcitis, quòd *elephas decenniô parit, ſed elephantem?* Vacuus lebes facilè ſonat, plenus tacet. Altiſſima flumina minimo labuntur ſono. Cælum minutiora ſidera noctu præſentat, cùm interim pulchriora latent. Levis campana parvo impulſu movetur, ſed exiguè ſonitura; grandis diu quidem agitāda, ſed in remotas oras magno locutura ore. THOMAM, precor, ampliùs ne dicite bovem: cùm n. hic Tacitus fiet vocalis, vos taciturnas Memnonis ſtatuas fieri oportebit. Mutus hic cogitat mugitibus implere mūdam, boatuq; ſuo, cunctos parat facere beatos. Bene eſt, abunde eſt. Aud: Mutum piſcem longo tempore egit THOMAS, quia vocem eius religioſa modeſtia comprimebat; ſed ubi permiſſu Magiſtri licuit extemporaneam diſcutere quæſtionem, quaſi de tripode Apollinis, aut è plauſtro locutus, declaravit ſe eſſe illum bovem, cujus mugitu citra Phalaridum oblectamina non artefactâ Perilli, ſed ipſius ſupremi Pneumatis modulatione integer perſonuit orbis. Non detraxit laborioſas hic fortunatus taurus ab aratro cervices, nec retro reſpexit, donec ſplendenti linguæ ſuæ vomere, feracem Dominicanæ Religionis agrum adeo excoleret, ut ſterileſcere etiam hactenus deberet militans Eccleſia, niſì ab illa Sapientiſſimos fidei Inquiſitores, prudentiſſimos Palatij Magiſtros, ſacræq; doctrinæ conſervatores ac propagatores præſto in vineis Domini haberet. Credite ceteri ignivomis Cretea vellera bobus, vellus orthodo-

Bos propter tarditatē ingenij vocatur.

extempore ad ſtuporem diſſeriit,

profundiſſime docet

Eccleſiæ plurimùm prodeſt.

xi gazophylacij necquicquam infernalis aſtu Medeæ hæretici Iaſones ſubripere machinantur, quouſq; THOMAS ignitum aget, qvia ultra tempus, aget taurum. Nitere ſecurior Europa leniori Aquinatici bovis cervici nitere, ſi exempta periculoſis Lethæi oceani fluctibus, quieto ſecuritatis portu ac fulgore optas nitêre. Auditâ quondam Cleanthes a Zenone chartarum inopiâ, boum pellibus literas inſculpſiſſe traditur. Sculpite in Aquinatico bove aut ſculpta legite Orthodoxi, certi ſanè notas illas nunquam ab hæreticis tineis corrodendas. Ne audete poſthac Aſtronomi iactare 12. eſſe zodiaci ſigna, ſolus taurus eſt, ſed Aqvinaticus, qui defixum pectori circumſcripſit ſolem. Sed ſit bos alijs, ſit non bos ſed iam Doctor iubilatus THOMAS, mihi Arbor eſt frugifera A. A. Arbor illa, quæ non paſcit tantùm famelicos, & refrigerat ardore aduſtos, ſed minutioribus quandoq; aviculis contra ferociores accipitres præſidiũ præbet. O quoties vultures hæretici crepitant, & velut roſtris maleſano ſenſu extracta biblijs quaſi tela præſeferentes, rudiores, ceu minutiores aviculas territant Catholicos, iam iamq; rapaces in prædam extendunt ungues; at quisquis inter hujus Arboris ramos avolavit, impunè circũvolitantibus hiſce ſtrygibus inſultavit. Quoties in defendenda veritate famelici exaruiſſent Orthodoxi, niſi ejus doctrinæ ceu opportuno Punici mali ſucco ſitim ingeniorum reluiſſent. Quoties urentibus Sophiſticorum argumentorum flammis, obfuſcata & aduſta fuiſſet Eccleſia, nisì Doctores Catholici ab hujus Arboris umbra ab inſcriptisq; ejus folijs, refrigerium ſcientiæ obtinuiſſent. Atq; ubi iam hæc Arbor univerſum replevit fructu Eccleſiæ paradiſum, ubi inquam THOMAS plenus doctrinâ, plenus omni genere virtutum, longè latèq; partum iudicij ſui diſtendit, rogatus ut Archiepiſcopali tiarâ caput ſuum exornari, aut ſaltem Directorem Cœnobij agere dignaretur, renuit. Quid agis Arbos mea? arboris eſt creſcere, tu decreſcere cupis,

Doctor creatur.

hæreticos profligat.

Doctrina eius ſcrinium argumentorum. norma veritatis

honorem ſpernit.

quando etiam à minimo collegij Tui ſtolone præcedi permittis? arboris eſt florere, tu contemptibus marceſcere deſideras, quando ignoniminias, injurias, vehemētiſſimasq; mortificationes minoris quàm honorem æſtimas? Ergone tibi illud Apoſtolicum non arridet! *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Ergone nil te movet illud Gregorianum? *Qui virtutibus pollens, gregem DEI renuit paſcere, ſummum Paſtorem convincitur non amare. Væ quidem tibi ſi praes, & non prodes; ſed væ*
Bernard: *graviùs, ſi quia praeſſe metuis, prodeſſe refugis.* Abuſus honoris non honor timendus, nec periclitatur qui præeſt, ſed qui malè præeſt. Sed parce deprecor, parce meo improperio Dive. reminiſcor me notaſſe, arboris palmas eò magìs deprimi, quò uberioribus fructibus pleniores. reminiſcor te mitrâ verticem gravare noluiſſe, ut liberiùs vultum ad aſtra tolleres. Ah utinam hoc exēplo ſapiant, qui nullis attributis ſtipati optimatum appetunt, primasq; exambiunt curules. *Magna quippe ſublimitas, magnam debet habere cautelam, honor grandis grādiori ſolicitudine debet circumuallari, & cui plùs creditur plus ab eo*
Ambroſ: *exigitur. Improbè ſatis praeeſſe affectas, quibus prodeſſe non curas: & quorum non zelas ſalutem, ſubiectionem nimis am-*
Bernard: *bitioſè tibi vendicas. Multo conſilio & prudentiâ opus eſt Paſtori, & mille oculis ad ſpeculandum undiq; hebetudinem e-*
Chriſoſt: *arū quas gubernat animarū. Quātò quisq; in ſuperiori conſtitutus eſt loco, tantò in maiori verſatur periculo, & quantò ſplendoris honore celſior quisq; eſt, tantò ſi delinquat, peccator maior*
Iſidorus. *èſt.* Ergo THOMAS cæleſtibus occupari natus, deſpexit terreſtria, elegitq; abjectus eſſe in domo Domini, magìs quàm in divitum tabernaculis habitare. Arbor
Thomas appetit cō tumelias. ſcilicet THOMAS futurus, depreſſionibus ac contumelijs laceſſiri paſciq; maluit, ut velut palma contra onera creſceret. Succiſa quippe arbor meliùs in ſolidum creſcit: percuſſa eadem, ſuccum corticis in fructum convertit. Huc huc famelica ignari rerum admovete ora. Fructum Arboris hujus, partum inquam doctrinæ

Aqui-

Aquinatis nemo guſtavit, quin ſimul diſceret a bono dignoſcere malum: vix ullus potuit a malo dignoſcere bonum, qui ſapientiæ Aquinaticæ non guſtavit fructum. Aruiſſent non paucorum calami Doctorum, nisì Aquinatico liquore refecti fuiſſent. In caſſum ampliùs cultores ſapientiæ Caballino conanimi labra proluere fonte, fonte Aquinatico proluite, quibus ſapientiam citò conquirere allubeſcit. Transferte Bœotica Sicelides ad hunc fōtē tentoria: pridem exaruit, quem vobis Pegaſus excuderat torrēs; ſed in ævū durabit, quēAquinatic⁹Bellerophon produxit. Cauto poſthac eam lymphā proſcinde remo, quisquis veritatis Argō non ad cetum ſed ad certū portum appellere cupis: ita profunda eſt, ut quaſi fundi expers nullius ingenij bolide exploretur: ita limpida, ut in ea fallaces, ſæpiæ ne minimæ verſutiæ atramentum celare poſſint: ita celer, ut hìc publicum Eccleſiæ tardantes bonum remoræ ſubſiſtere non poſſint: ita myſtica, ut ſolis ad abuſum piſcantibus torpedines ſubmittat. Enimverò aquis immergi videor, qui arboris fructum carpturus eram; non tamen mergar, quia in ipſo Aquinatici fluenti medio THOMAS mihi Arbor, THOMAS & ſcipio eſt. Papæ ad guſtandum huius Arboris fructum linguam ne extenderis, cui maligna hæreſeos febris palatum aduſſit. Eadem roſa api mel, toxicum araneo miniſtrat; eadem hæc Arbos probis pharmacum ſalutiferum, venenum contra improbos gignit. Fruſtra iam fruſtra miſeri hæreticorum Sinones arte Pelaſgâ inſtruimini, fruſtra compoſitis dolis, conſutiſq́; mendacijs eſcam hamis agglutinatis, & verſuta tenditis retia: quiſquis Arboris huius fructum ſanæ mentis palato guſtavit, fallaci perfidiæ guſtu non fallitur; quiſquis vel minimum ab hac Arbore carpſit amitem, perruptis inſidijs alite celeriùs ad veritatis ſecuritatem pervolabit. Sed ſpeciosa bellaria commendare ſupervacaneum, cùm ſuapte naturâ etiam obeſis ſapiant. Tacete iam licèt miraculoſa THOMÆ præconia gentium Doctores, tacete

Doctrina Thomæ profundiſſima.

flagellum hæreticorum.


Thomæ à diverſis elogia.

AUGUSTINI, tacete M. ALBERTI, SIXTI, CLEMENTES, ANTONINI, tacete integræ Universitates, tacete Concilia, cùm & ipsum immensum in commendationem fructuum Arboris meæ tonat VERBUM: *Bene scripsisti de me THOMA.* Hoc uno Verbo universi laudum conceptus exhausti. Infinita gloria THOMÆ, quia ab infinito Oratore constructa. O nimiùm felix Bene, cui nullum melius accidere potest. O perfectum Bene, cui nullum obtigit malè. O Arbor omnes complexa suavitates, de qua tam sapida tam bona prodiere mala, ut ipsius DEI palato arriserint. Funde nunc insanam rabiem, seu buccina clamosis faucibus desperabunde Buccere: *Tolle THOMAM* *Buccerus.* *& dissipabo Ecclesiam:* maledicta insanies Tua nocere illi, (contra quam portæ inferi non prævalebunt) non poterit, Angelico Doctori eò majus quia hostile præconium augere poterit. Unam hanc pulchram de turpi hæretiſmi cœno prodijsse gemmam profiteor, quòd etiam in hoste THOMA Virtutem squalidæ negationis turpitudine celare noluerit, quia ab ipso æterno Lumine nimis detectam nimis illustratam. Unum sensibilem insensati hæretici retinuere sensum, quòd sibi huius Arboris Scientiæ boni & mali fructum Colchico veneno acerbiorem sentiant. Ast ne timete nefanda Lucìperi cohors, ne *Thomas explanās Cantica moritur.* timete, quia iam Arbor mea arescit: plaudite quia THOMAS moritur: imò verò timete, timete ampliùs & plangite, cùm hæc Arbos æviternùm victura, æviternum vobis toxicum paritura in cælestem paradisum trasplantatur. Explanans cantica THOMAS obdormivit in Domino. ut moriens sibi tanquam olor accineret. Inter dulces concentus hæc Arbos telluri erepta, ut dulcis recordatio eius cordibus hominum immaneret. Scatere aliquando *Conclusio* vites hortorum peritis non ignotum, liquoremq; earum ad plurimos usus conducere compertum. Quisquis es, *Doctrina & sanctitas eius efficax.* quem aut improbitatis vulnera exulcerarũt, aut ignorantiæ limæ macularunt, scatente abundanter Arboris huius liquore tuas inunge notas, si & scelerum immunis, & sci-

entia

entiâ conſpicuus conſpici optas. Huc huc confluite profundiſſimas Divinitatis abyſſos menſuraturi Theologi, omnis naufragij poſthac immunes futuri, ſi priùs ſcatentibus ex Aquinatica Arbore fluentis innatare ſuffeceritis. Huc accedite ſitibundi ſapientiæ Candidati: ſancta ſitis veſtra non ſuavioribus ambroſijs extinguetur, quàm dum de Aquinatici fruticis ſucco libaveritis. Huc adeſte ignari rerum Therſites: non faciliùs inter lepram & lepram dijudicare addiſcetis, quàm ubi lautè de hoc ſcientiæ boni & mali ligno ſumetis. Huc properate cuncti, quos boni eſuries, quos vitæ iudicijq; debilitas vexat: ſi brutale eſt abſq; intellectu vivere; vitam humanam, vitam veram, Sanctam vitam dabit hæc Sancta Arbos, cui boni maliq; intelligentiam dabit. DIXI.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0017598